



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi  
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

**Acquaviva, Claudio**

**Coloniæ Ubiorum, 1616**

95 Me expectauerunt peccatores vt perderent me: testimonia tua intellexi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

meus es. Quem tanti comparant, quam vile mancipium est? Tu, qui solus tam multis nominibus, me ipsum vendicas tibi, tu dicito seruo tuo; Meus es tu. Quippe non negas tuum esse eum, qui ipse se non neget; aut certè, si pro te, seipsum sibi abneget. Et qui audit à te, Meus es, audet, & vicissim tibi dicit. Meus es. Quippe portio mea, & hic in exilio es, & in terra viuentium. Quam felix tecum appellatio, & responsio? Dicat tibi anima mea, secura dicat, Tua sum: dicat, & audiat ampliora, Meus es tu. Non est ista temeritas, affectus est desiderij, & dulcedo spei. Ego, inquit, protector tuus, & merces tua. Verè protector fortis, & merces magna nimis.

*Sed eorundem Meus es. Psal. 141. S. Aug. in psalm 32.*

*Gen. 15.*

95 Me expectauerunt peccatores, vt perderent me: testimonia tua intellexi.

*Expectat hostes multipl. eiter. Thren. 2.*

**E**XPECTAVERUNT primò desiderantes perditionem, vt quidam inimici dixerunt. Ista est dies, quã expectabamus, inuenimus, vidimus. Quid enim latius inimicis accidere potest, quam vt ruinam meam vidèant?

Secundò. Expectauerunt, vel præstolati sunt me, patientissimè in insidijs perdurantes, vt caperent, & perderent me: parantes mihi laqueos: qui cogitauerunt

*Psal. 139.*

*sup.*

supplantare gressus meos: absconderunt laqueum mihi, & funes extenderunt in laqueum: iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Vidisti Domine, ne silcās, ne discē- *Psalm. 34.*  
das à me.

Tertio, Expectauerunt me, quasi nimia fiducia fortitudinis suæ, nimia experientia imbecillitatis meæ: hoc est enim expectare quasi securos.

Tandem expectauerunt me iuxta iter, velut certò scientes, me aliquando eo venturum, vbi me caperent, & perderent.

Hei mihi Domine miser sum, misericors es. Certè enim data occasione eo me fragilitas, & caro compellent, vbi laqueos extenderunt; vbi me quasi inde transiturum expectant. Vidisti Domine omne consilium eorum aduersus me in malum. Deduc me in via tua, & præcede me per viam rectam. Dirige gressus meos, ne in insidiatores incidam. Mihi enim euadere *Lex liberat.*  
aliter impossibile est. Sed gratias tibi, qui *Psalm 24.*  
euellis de laqueo pedes meos: & intellectu, atque meditatione legis tuæ, & testimoniorum tuorum eruis, & seruas me. Atque ita, si legi tuæ inhæsero, nec lætabitur de die perditionis meæ, quia in lege tua saluus sum: nec in insidijs præstolabuntur, nisi gratis, quia testimonia lux mihi sunt; & insidias eorum patefaciunt, & loca indicant, & retia ostendunt: nec, nisi frustra, quasi inermem, & imbecillum expecta-

pectabunt, quem lorica legis tuæ, & mandatorū tuorū fortitudine roborasti. Haud me inde transeuntem diripient, si mandatis tuis in viam rectam dirigar, omnem iniquitatis viam odio habens. Ergo frustra peccatores expectant me, tua lege, &

*Psal. 118.*

*Psal. 141.*

custodia tutum. Expectent potius iusti donec retribuas mihi. Sed excellentiori modo Martyres sancti dixerunt, Me expectāt peccatores, qui fidem, & vitam æternam perdere conantur: sed intellectu legis tuæ, & constantia fidei muniti vicerunt vincentes se, & torserunt torqueñtes se, & vitam profundentes temporalem, victores inuenerunt æternam.

96 Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.

Vidi, & intellectu fidei collustratus aduertit mandatum tuum, quod est latum nimis, esse finem omnis consummationis. Quid enim consummatum, atque perfectum esse potest sine mandato, & obseruantia legis tuæ? ita vt spiritu tuo plenus dixerit quispiam, Mandata tua obseruare, hoc esse omnem hominem. Quod si hoc omnis homo; absque hoc nihil omnis homo. Ita sanè, qui enim abs te elongatur, nec legem tuam seruat, pro nihilo, & nihil est. Quid est enim homo, nisi quia tu in-

*Eccl. vi.*

*Psal. 143.*

notiſſi